



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sortes, Qvibvs, Ne Temere Cadant, Temperandis; Vel, Si
Temere Dvcvntvr, Castigandis, Divini Ivdicii Æqvitas
Semper Adest**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 10. Libri apertione, velut ominata sorte, se consolatur S. Gregorius
Turonensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52306)

S. Aug. l.
4. super
Genes.
cap. 23.
S. Ambr.
l. 4. epist.
14.

dicit: *Solent, quae sorte dantur, diuinitus dari, & quod sorte legitur, ut ait S. Ambrosius, humano iudicio non comprehenditur, idcirco decentissimum est, ut, quae diuina sunt, diuina oratione studeamus impetrare.*

§. X.

Libri apertione, velut ominata Sorte, se consolatur S. Gregorius Turonensis.

S. Greg.
Turon.
lib. 5. hist.
Franc. c.
47.

Quintum documentum. Librū aliquem piū, etiam sine iussu, aut suāsu diuino, aperire, & ex primo, qui occurrit versu, non futura & curiosa cognoscere, sed consolationem duntaxat, aut doctrinam piā quærere velle, non est illicitum, sed pijs hominibus vtiliter consuetum; etiam si vel casu, vel diuino nutu, reperiatur, quod reuera euenturum est. Ita euenit S. Gregorio Turonensi, ut de se ipse refert. Leudastes impius, cum eiusdem farinae socio Riculfo, varijs Gregoriū Turonensem machinis oppugnauerat, calumniosè deferendo, tandem etiam ausus est, Platonem Archidiaconum & Gallienum amicos eius in vincula dare, catenisque & calumnijs oneratos ad reginam mendacijs incensam ablegare. *Hac ego audiens, inquit Gregorius, dum in domo Ecclesiae residerem, maestus turbatusq; ingressus*

gressus oratorium Davidici carminis sumo librum, ut scilicet apertus aliquem consolationis versiculum daret. In quo ita repertum est: Edixit eos in spe, & non timuerunt, & inimicos eorum operuit mare. Interea ingressis in fluvium super pontem, qui duobus lincibus tenebatur, navis illa qua Leudastem vehebat, demergitur: & nisi nandi fuisset adminiculo liberatus, cum socijs forsitan interisset. Navis vero alia, qua huic innexa erat, qua & vindictos vehebat super aquas, Dei auxilio, elevatur &c. Quod & versiculo Psalmi respondit, & quæ postea euenerunt, significavit. Nam innocentia è fluctibus his emerit, & calumnia naufragium fecit, mala omnia, quæ machinata fuerat, in capita authorum retorquens. Ad hunc modum, ut supra memoravi, à multis pijs viris hodiè que, libellus de *Imitatione Christi*, tempore tentationis aut tribulationis, aperitur, semperque aliquid occurrit, quo mens eorum roboratur, & ad aduersa toleranda confirmatur.

§. XI.

SS. *Menstruorum sortitione multos utiliter moneri, de moribus emendandis; aut, quòd mortem in procinctu habeant, quam subesse non arbitrarentur. Et cautela circa menstruorum Sanctorum abusum.*